

145

143

149

139

154

134

194

094

244

044

Ende

Anfang

134

Dentium et unguium immanitate armatus est cocodrillus, quos adeo acutos habet, sicut serra ferrea, et ad apri modum habet culmos; tantam etiam habet cutis duritiem, ut, quamvis fortium lapidum ictus in tergo recipiat, nihil curare videatur. Est autem cutis rugosa grisei coloris, ad latera tamen ad croceum tendit colorem, ventrem habet valde mollem; ideo pisces, serratam crissam habentes, tenera ventris ejus desecant et ita interimunt. Oculos habet claros, profunde in foraminibus capitis jacentes, quibus acute videt. Rictus oris ejus est usque ad loca aurium et morsum habet venenosum. Gulosum animal est multumque comedit et in tantum se replet, quod jacet ructans et in aqua ructat ac si gemat. Crura habet brevia, ideo non multum velox est et homo expeditus praecurrit ei. Nocte in aqua manet, die vero in terra greditur, quaerens rapinam et pastum, in hieme vero se abscondit et nihil penitus comedit. Cibus suus in aqua sunt pisces et alia animalia aquatica, extra aquam vero herbas bonas quaerit, quas manducat. Hominibus maxime insidiatur et visum hominem insequitur, quem dum apprehenderit primo eum interficit et mox super infectum plorat et deploratum devorat. Lac ejus effusum induratur ut lapis. Aegyptii, praecipue in Delta insula, artem habent capti-vandi in aqua hanc bestiam, ut dictum est Fol. 113. Captam autem excoriant et pellem, quae durissima est, vendunt. Has pelles circumferunt quandoque Gyrogavi, dicentes esse pelles draconum. Longae vitae est haec bestia et si non ita avare voraret cibum, multo diutius viveret; nam inter herbas, quas vorat, latitat nonnumquam vermis, qui emdros dicitur, quem simul cum herbis devorat, qui interiora ejus radit et interimit et repletus exit illaesus. Aviculae quaedam ei insidiantur et dormientis aperto ore ventrem ingressi eum occidunt. Si quando ab Aegyptiis captus fuerit, cogunt ipsum praedam comedam evomere et mox saepe multitudinem piscium evomit. De his belluis saepe mentio fit in Vitis Patrum. Legimus enim, dum quidam monachi irent in Vitriam, Aegypti pagum, et ad locum quendam venissent, in quo erat grandis fovea, aqua plena, quae in eam decurrerat tempore exundantiae Nili, viderunt super margines stagni multos jacere (**121 a**) cocodrillos et magnos, qui dormiebant ad solem, monachi vero aestimabant eos mortuos, sed dum accederent propius ad videndum immanes bestias, continuo, ut sonitum pedum senserunt, excitati

